

Sarmatia ? Æthereas sedes , atque ardua magni
Tecta Jovis libuisse ferunt ; precibusque potentem
Pulsasse ; & tales fuisse e pectore voces

Ecquis erit tandem finis , quæ meta laborum ,
Magne hominum Rector , Divumque æterna Potestas ?
Nonne vides ? Fractis disiectæ mœnibus urbes ;
Fumanesque jacent : squalent viduata colonis
Arva : per iundantes tabo commixta cruento
It sanies fluvios ; & trunca cadavera volvit :
Extremumne paras (nam quid mihi denique restat
Heu miseræ ?) excidium ; totamque evertere gentem
Immeritam est animus ; nec spes est ulla salutis ?
Ah ! tua te pietas moveat : miserere ruentis
Sarmatiæ , & finem tantorum impone malorum :
Est mihi vernantis primævo in flore juventæ
Egregius forma , & magnis virtutibus Heros ;
Idem opibus præstans , & nobilitate vetusta .
Gloria nascenti patrio sermone perennis
Moribus ; ac tanta dignum dedit indole nomen :
Hunc unum Proceres , unum turbata tumultu
Respicit in tanto ; ac merito plebs omnis amore
Prosequitur ; patriamque unum fulcire labantem ;
Et posse extremis sperant succurrere damnis .
Ergo iter Arctoum ad Regem ; vicinaque castra
Orator domina missus jam carpit ab urbe
Accelerans . Da , magne pater , quod te tua poscit
Sarmatia ; & facilis ferventibus annue votis .
Hunc statue ; hunc genti Regem . Regalia forti
Sceptra manu , celsaque ferat diademata fronte
Promeritus . Scissa fugiet Discordia palla
Protinus , & Geticas Mavors se avertet ad oras .
Ille animos junget facilis , populumque , patresque ;
Blandus gentis amor ; communi fœdere nectet .
Pacatis rabidos excedere finibus hostes
Ille vel eloquio ; vel dextra coget ; & armis .
Dixerat : at folio contra sic orsus ab alto

Jupa